

**De vomituum diversis speciebus accuratius distinguendis : theses ex anatomia et chirurgia tum practica tum forensi, die Veneris 18â mensis Augusti, anno 1786, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam, propugnandae.**

### **Contributors**

Pipelet, Jean-Baptiste.  
Louis, M. 1723-1792.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1786.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qgqk3xnp>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Hl.*

# DE VOMITUM DIVERSIS SPECIEBUS ACCURATIUS DISTINGUENDIS.

*T H E S S*

EX

ANATOMIA ET CHIRURGIA  
TUM PRACTICA TUM FORENSI,

*Die Veneris 18<sup>a</sup> mensis Augusti, anno 1786, à sesqui-secundâ  
post meridiem ad septimam,*

PRO PUGNANDÆ.

*P A R I S I I S ,*

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

PRO ACTU PUBLICO,

TT

MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ  
Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cythareæ.

---

M. D C C. L X X X V I.

ЛІЧИТИ СІМІ

ДІВЧАТА СІМІ


ДІВЧАТА СІМІ

## З ВІДНІТ

ХІ

ЛІЧИТИ СІМІ

ДІВЧАТА СІМІ



## THESES ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

---

OMNES quæ ad Artem salutarem pertinent cognitiones, vinculum habent commune, & necessariâ cognatione inter se continentur. Seorsum addiscendæ, unam quamdam scientiam minùs constituere videntur, quām esse variarum comprehensio. Alumnis tradi solent à Professoribus, qui altiùs ad intelligentiūm partis sibi concreditæ assurgentæ, singula quæque penitiùs perscrutantur; subindeque quibusdam gradatim in melius mutatis, aliquantūm cuique disciplinæ, pro suâ singulari peritiâ, adjiciunt. Sic Chirurgia, *Celso* teste, quum sit Artis salutaris pars vetusissima, magis ab illo parente omnis Medicinæ Hippocrate, quām à prioribus exulta est; deindè increvit, posteà quām diducta ab aliis, habere Professores suos cœpit.

Ast ex iis quæ multo labore, assiduo studio, variâ exercitatione,

A

plurimis experimentis disjunctim comparatae sunt doctrinæ , ad usum , quo ægris opitulari , eosque servare possimus , debent elicere cognitiones , ita ut una fiat disciplina quæ cuique casui extemporanea affulgeat : hoc opus , hic labore est . Omnibus enim scientiæ præceptis imbutus limen aditumque Artis nostræ facile subibit ; sed experientiæ & sapientiæ opus auxilio , ut penetret & scandat . Quanta nascatur ab experientiâ utilitas , quis non novit ? Artem quippe fecit , exemplo monstrante viam . Sed eam fallacem renuntiavit Hippocrates ; & dehinc celeberrimus humaniorum litterarum in Universitate Parisiensi Professor (1) , brevem , novam ac facilem studendi methodum , optimæ spei adolescentibus describens , non veritus est experientiam vocare *omnis imperitia magistrum* , hominibusque fugiendam , ut artem amplexentur . Efflorescat itaque sapientia quæ sub *judicij* nomine difficultem dixit primus Artis parens . Cui sententiæ è libentiùs adstipulamur , quod in selecto hujus concertationis argumento videre est , quâ cautelâ utendum sit in dijudicandis naturæ phœnoménis , quâm ardua res sit recta diagnosis ; quâm graves ex ejus neglectu lapsus , si in unum non consenserint ex omnibus scientiæ partibus de promendis cognitiones ; si structura partis , sedesque morbi ex Anatomia clariùs non innotescant ; si prælucente Physiologiâ de actionis lœsæ speciali naturâ non constet ; si univoca & pathognomonica morborum signa ab æquivocis non discernantur . Sit igitur experientiæ astimatio penes judicium .

Alterius sic

Altera poscat opem res , & conjuret amicè .

**ŒSOPHAGUS** , prætergressus diaphragma , profundius latens , vertebris quasi annexitur ; continuatum ventriculum habet , qui

(1) In libr. cui titulus *Obstetrix Animorum*. Paris , 1600.

ab hypochondrio sinistro ad dextrum, regionem epigastricam  
occupat; utriculo lusorio vulgo comparatur. Tumet cæco  
elato fundo, mox sub diaphragmate contra costas & lienem;  
maximo arcu inferne elongatur; superne minori incisus, majo-  
rem & minorem curvaturam vocant, quæ sensim sensimque à  
curvitate decedentes, in conum evadunt, quæ est ventriculi  
extrema pars in hypochondrium dextrum sub hepate declinans.  
Faciem alteram abdominis musculis objicit, vertebris alteram.  
Dùm verò ingestis ampliatur & tumet, situm non nihil mutare vide-  
tur. Major enim curvatura inferior, sensim elevatur &  
in anteriora erigitur; arcus superior posteriora respicit, & in  
dextro hypochondrio ventriculi conus magis in posteriorem  
partem devolvitur & inclinatur; atque hæc situs mutatio præ-  
cipue fit propter obicem illius anguli maximè resistentis inter  
diaphragma & vertebrales. Quemadmodum ab œsophago conti-  
nuatur ventriculus, ita & ipse in intestina elongatur: duo ergo  
habet orificia, alterum superius & sinistrum, cardiam vocant;  
alterum inferius & dextrum, pylorum seu janitorem. Si inflato  
ventriculo linea ducitur à vertice tumente in hypochondrio  
sinistro ad dextram partem, hæc duo orificia neque in eadem  
altitudine, neque in eadem linea esse videbuntur. Cardia etsi non  
admodum anterior sit, non est tamen adeò posterior ac pylorus,  
qui ob productum in posteriora ventriculi conum, penè totus  
ab eodem recondi observatur.

Quatuor tunicis conflatur ventriculus: exteriorem membra-  
nam à peritonæo mutuatur: hanc à sequenti separat, seu potius  
utramque connectit Ruischiana cellulosa, in quâ sedent magni  
vasorum rami. Quæ tunica priori substernitur, musculosa, valen-  
tioribus fibris componitur: harum ordinationem, variaque  
superposita segmenta seu strata semet decussantia descripsit

*D. Helvetius* (1), jam luculenter à *Fallopio* observata. Fibrarum aliquæ ab œsophago ad pylorum excurrunt; aliæ sinistrorsum ventriculi saccum cæcum versus descendunt, & huic circulos dant concentricos: fibrarum tamen providè coordinatarum contractione moderata cibi subiguntur, sensimque ad intestina expelluntur. Fibrae musculares ad pylorum arctius conjunctæ, ventriculi extremam partem coarctant, eamque crassiorem & validiorem efficiunt. Hominibus edacibus, ventriculum maximè crassum & lacertosum Natura largita est; hinc ægrius inediā sustinent, ventrisque vacui furorem experiuntur. Tertia tunica quæ nervosæ nomine insignitur, ope contextūs cellulosi laxioris cum suprà dictâ cohæret; in eâque vasa quæ musculosam tunicam perforant, à majoribus truncis veniunt, & in angulosum rete dividuntur. Tunicæ autem nerveæ quæ alba, firma, crassa est, nervisque stipata, plicas sensiles sequuntur, vacuo ventriculo, vasa. Glandulis humorem mucosum secernentibus instruēta est hæc-ce membrana, quam sequitur, & cui adhæret villosa tunica, mollis, rugis amplis complicata & innumeris foraminibus pertusa, quæ glandularum muciferarum ductus excretorios sustentant, & arteriarum fines, è quibus limpidus humor, salivæ similis, distillat, chylo diluendo accommodatus; liquor gastricus dicitur: humor verò mucosus villosam inungit membranam, eamque ab acriorum impressione utcumque defendit. Ad finem pylori ruga est insignior seu valvula, speciem referens annuli tumentis, lubrici & in duodenum inclinati.

#### Ventriculi vasa.

Vasorum sanguiferorum in ventriculo communis mater cæliaca, quæ pyloricam, gastricam utramque, gastro-epiploicas,

(1) Mém. de l'Acad. des Sciences, 1719.

aliasque haud paucas arterias ex coronario, gastrico & splenico ramo in omne ventriculi latus distribuit: à lienalibus ramis proficiscuntur surculi, qui brevia vasa vocantur; sive plures sunt vasorum trunci, ut dum premitur ventriculus, non adē facilè sanguinis adfluxus possit intercipi. Venarum rami arteriosis socii incedunt, & per ipsos in venam-portarum sanguis regreditur. Nervis multis & insignibus, quos octavum par generat, eximiè sensilis est ventriculus, eō ut actia quæ lingua non discernit, stomachum subvertant. Vasa itemque insigniora lymphatica desuper ventriculum videri queunt, quæ per utrasque ventriculi curvaturas præcipue incedunt, glandulas ibidem positas prætereuntia, utroque omento suffulta, ut ad ductum thoracicum, vel ad hepatis fissuras, ibidem cum aliis lymphaticis coniuncta terminentur.

In ventriculum cibi demittuntur ibique macerantur, foventurque calore qui vias parat subituro humoris gastrico. Præjudicata opinione invaluerat systema admittens ingestorum triturationem pro solâ digestionis causâ; & sicut in mortario ex amygdalis per tritum mechanicum fiunt emulsiones, eodem modo chylus ex alimentis exprimi dicebatur. Huic erroneæ opinioni favebant Doctores famâ, ineunte hoc-ce saeculo, insignes, ut patet ex eorum approbationibus libro Collegæ cætera meritissimi *Hecquet* inscriptis, cui titulus *de la digestion* (1): sed cuilibet attendenti facilè patebit digestionem absque fermentatione fieri non posse. Argumento sit multiplex & diversa series alimentorum, uno eodemque pastu, in apparato opipare convivio assumptorum. In primâ quidem cœnâ, jure maceratae orysæ, vel panis offæ, olera cruda, ut cardui sativi, rapæ, ficus, pepones, butyrum; quadrupedum, avium, piscium carnes vel elixæ, vel assatæ, diversimodè

Alimentorum di-  
gestio.

(1) Paris, 1712.

conditæ , varia cupedia gulæ irritamenta. In alterâ , carnes inas-  
fatæ, acetaria, & quæ vocant medii convivii fercula (*entremets*) :  
dein in ultimâ cœnâ , fructibus oneratur mensa tūm coctis , tūm  
crudis, lactentibus, saccharatis. Inter ea pro potu adsunt vina  
sapore & viribus diversa ; & in epuli fine, spirituosa nonnunquam  
Liberi bellaria, antè & post calidum Arabicæ fabæ infusum. Quo-  
modò ex tam heterogeneis intermixtis , posset, spatio paucarum  
horarum , fieri liquor homogeneus , succus alibilis , nisi priùs  
resolverentur ingestorum partes integrantes , ut ex mixtione ele-  
mentorum nova resurgat homogena compages? Quod ex ratione  
conjicere licet , non ambiguæ fidei comprobarunt experimenta  
Clar. *Macbride*, Dublinensis Chirurgi (1). Aer elementaris fixus ,  
qui gluten est partium solidarum , emergit ex intimis , & ele-  
menta ingestorum relinquit absque vinculo ; quod manifestâ  
fermentatione peragitur. Ex hâc aeris fixi liberatione fiunt flatu-  
lentæ ventriculi in quibusdam distensiones , ructusque varii , qui  
pro diversis quibus inquinantur halitibus , acidi , amari , nido-  
rosi , fœtidi. Fermentatione , cibi quandoque corruptuntur in  
nauseosum liquamen , aceſcens ſepè , ad putrefactiam aliquandò  
vergens , vel ranceſcens , pro variis ingestorum qualitatibus : nulla  
tamen fit in ventriculo perfecta putrefactio , à quâ omnino  
alienus est naturæ finis. Condimenta varia , ut ſal , acetum , piper ,  
acria aromata , alliata , putrefactiam carnium corrigunt ; haec  
enim omnia , luxuriantis delicatorum gulæ causâ aut conditûræ ,  
alimentis addita , non nutriunt , cum & gelatinosa lymphâ deſ-  
tituantur & farinoso alibili.

Irritatæ à flatu , pondere , fibræ ventriculi carneæ vehemen-

(1) *Essais d'expériences sur la fermentation des mélanges alimentaires.*  
Opus aureum, ex anglico idiomate in gallicum. Paris, 1766.

tiùs constringuntur; circulares cavitatem angustant, cibum cum liquidis interterunt, & quasi inter manus oppositas premunt, eumque ad pylorum sensim promovent. Sed cùm ad perfectum digestionis opus mora requiratur, nimis properato ciborum egressui obstat, non modò pylori valvula, sed & ipsius ventriculi motus, qui cibos & sursum perindè repellit, & urget ad inferiora. In hisce motibus nihil esse tritui simile contendunt nonnulli, ex eo quòd ne baccas quidem aut mollissimos vermes conterat Ventriculus: huic nihil - seciùs multùm inest roboris, quippè cùm fibræ multò magis quam unâ tertiâ fiant breviores.

POTENTIOREM vi peristalticâ ventriculi asserunt eam, quam septum transversum & abdominis musculi exercere putant: quæ opinio rationi, perspectèque cognitæ partium dispositioni adversatur; nihil enim prodest actio septi transversi & muscularum abdominis, licet aliàs aliquid auxiliī præstitura, si fibræ ventriculi quâcumque de causâ sint imbecilles, languidae, & immediatâ actione in cibos destituantur. Actioni vesicæ in expellendâ urinâ dicuntur etiam opitulari musculi abdominis & septum transversum, actione compressoriâ quâ funguntur. Sed quid horum nisus in casu paralysis vesicæ? Ventriculus, structuræ vel actionis ratione, vesicæ urinariæ equiparabilis est; uterque enim musculus est *cavus*, sensu donatus, irritabilis, passivè extensilis, agens in contenta. Si ultrà limites vesica distendatur, perit ejus actio, lotium retinetur, irritâ muscularum actione, qui urinæ excretionem promovere dicuntur. Num & idem accidit Ventriculo? Helluones, palati mancipia, & quorum *Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.* (1) Ventriculum quasi sarcinariam

Nulla est in Ventriculum actio Septi transversi & Muscularum Abdominis.

---

(1) Div. Pauli Epist. ad Philippenses, cap. 3. Vid. Frid. Fornerus de Temulentia & Ebrietate, lib. 1. cap. 37. quòd temulentia sit quædam quasi idolatria. Inglostad, 1603

manticam habent, cruditatibus continuò laborant, affectibusque à Ventriculi laxitate & atoniâ oriundis; quibus averruncandis plerūmque sufficeret vita sobria; gulæ enim temperando, fibra- rum ventriculi tonus restitui potest: assiduis è contrâ crapulis & ingurgitationibus omnimoda morborum incumbit cohors; tot. ciborum gemens ventriculus ruit sub onere; & libidinosæ voluptati gulæ servientium finis interitus (1): læta autem senec- t us, & mors, ut ajunt, sine morbo, temperantiæ præmium est indubitatum.

Quomodo fiat vo-  
mitus.

ACTIONE ventriculi moderatâ subigi cibos & ad intestina sensim expelli compertum est: actione autem validiori & convulsivâ, ingestorum per os fieri ejectionem, quam *vomitum* vocant, statuimus; acceditque cum gravis stimulus irritando, vellicando vel erodendo, afficit ventriculum, organum quam maximè irritabile. Hæc sententia antiquitate nititur, & plurimorum suffragiis Anatomiae laude insignium, inter quos *Wieussenium*, *Littrum*, & illustr. *Hallerum*, honoris causâ nominare juvat. Quanta sit ventriculi contractilitas patet inspec- tione anatomicâ eorum qui longam inediā passi sunt: *Higmorus* & *Santorinus* ventriculos in hoc casu itâ contractos & corrugatos viderunt, ut pro intestinis haberi potuissent. Quidam ex Neotericis omne vomendi opus fortiori diaphragmatis & mus- culorum abdominis actioni tribuerunt, vim quâ pollet ventri- culus, ei perpetam denegantes. Hujusce commenti patronus D. Chirac (2), & hanc erroneam opinionem experientiâ fallaci in cane vivo institutâ, confirmare conatus est. Non mirum si magna

(1) Paul. ibid.

(2) Mém. de l'Acad. des Sciences, 1700.

9

fuerit in hoc animali muscularum abdominalium actio post inflictum vulnus & emeticum exhibitum. Doctè refutatur hoc experimentum à claris. *Morgenbeffero* (2) : vomitum autem non mediante diaphragmatis contractione, fieri exindè constat, quòd ingesta per os ejici nequeant, nisi tempore expirationis, quo diaphragma in thoracem redux, vel à ventriculo recedens, quietescit; & dùm inspirando, vires in ventriculum exercet dia phragma, cibi deorsùm propelluntur, non sursum; siquidem tunc constringitur orificium ventriculi superius, ab agentis septi transversi musculis inferioribus. Experientiâ quotidiana comprobatur in expellendis fæcibus induratis, fortiter, actione simultaneâ, septum transversum, abdominalisque musculos sese contrahere absque vomitu. Horum verò contractionem aliquid adju menti vix conferre in vomitu crediderimus, cum frustrato eorum nisu Ventriculus contrahatur; & licet ii maximâ contractione partes in abdomine contentas premant, nonnisi compressione laterali agunt; & ingesta, superiora versùs, potius quam ad inferiora, hâc propulsione compelli non posse, sat superque cui libet attendenti patebit. Præterea constat eos qui facilius vomunt, nec diaphragmatis, nec abdominalium muscularum percipere nisum; & pueros lactantes à majori lactis ingestî copiâ sese exonerare, solâ contractione fibrarum ventriculi muscularium.

AB unâ eademque causâ diversos effectus, & à diversis causis, haud dispare effectus produci posse, tritum, & iis ipsis qui pri mum Phisices limen salutavere, dudum cognitum. Cùm autem

---

(1) Disput. de vomitu. Lips. 1738.

omnis scientia sit rerum cognitio per causas, signorumque distinctio ardua sit res & difficilis judicii, constat hanc esse artis medendi principium & fontem, & ex accuratiori diagnosi cuiuscumque medelæ nasci methodicam rationem. Quæ de vomituum dijudicandis diversis speciebus, ut proposito nostro faciamus satis, notanda veniunt, minimè controversam hâc de re veritatem illustrabunt.

Variæ vomituum  
causæ.

Causis & indole omnino diversorum morborum vomitus est signum & symptoma; ut potè ab ipsomet ventriculo vulnerato, inflammato, vel quocumque modo præter naturam affecto; ex quibus fit magis quam par est, irritabilis; à membranarum scirrhosâ crassitie, à tumore invium cibi & potûs iter adducente; à vicinarum partium tumoribus; ab ipsius Ventriculi situ mutato; vel sympatheticè à lœsis visceribus quibuscum Ventriculus consentit, ut videre est in lœsionibus capitis, in nephritide, in urinârum secretione impeditâ, &c. Vomitum itemque adjunctum habent iliaca passio, herniæ incarceratæ, quibus morbis salutarem nec consilio nec manu ferre opem quis posset, si causas & effectus non distinxerit, consideratis priùs verâ morbi sede, actione lœsâ, excretorum vitio, diversis tempore & modo quibus per os ingesta rejiciuntur.

Herniæ Ventri-  
culi.

Exteriùs in abdomen tumorem fieri à Ventriculi portione intrâ partes continentes relaxatas conclusâ, observationes quam plurimæ testantur. Propè lineam albam in latere sinistro, sub spuriarum costarum cartilaginibus exoritur tumor; post cibum assumptum increscit, in jejunio contrâ minuitur, (nisi tunicae ventriculi multùm laxatae, vel cum sinu peritonæi coaluerint), & in supino ægri positu prorsùs evanescit: à colo flatibus distento sursùm in saccum herniæ pelli potest Ventriculus, qui incarceratione dolet, vomitumque movet, à quo incommoda

potius crescere quam imminui obseruavimus. Herniam Ventriculi commemoravit *Fabr. Hildanus*; & quas publici juris fecit hujus-*ce* morbi observationes *M. de Garengeot*, eas notis, animadversionibus & novis exemplis illustravit Celeberr. *Gunzius*, Profess. Lips. in libro quem scripsit de herniis, ann. 1744. Recentioribus observationibus locupletiorem hanc utilem & magni momenti materiam effecit Candidati Parens meritissimus, in Commentariis Regiae Academiæ Parisiensis, tom. IV. p. 188.

Arti perficiendæ maximè conduceat, si numerosiores contingent observationes de morbis qui vel omnino practicos præterierunt, vel illis antè oculos minus intentos obversati sunt. Timendum ne incautos illudat error, vomitum cum *merycismo* confundens. Merycismi, seu ruminatio*n*is in homine primus memorator, inter Artis Proceres spectatissimus Professor *Fabr.* ab *Aquapendente*, ad calcem dissertationis de varietate Ventriculorum (1); duoque adducit hujus-*ce* affectūs exempla. Nobilis Patavinus, ab assumptione cibo circiter post horam plus minusve, cogebatur cibum in os attrahere & rursus mandere; & quidem ab insigni delectatione. Obiit, & aperto cadavere, inventus ventriculus est insignis magnitudinis & in internā superficie valde asper. Alter, qui similiter ruminasse dicitur, fuit Monachus, qui marcore obiit, propterēa quod tantā aviditate cibus regerebatur in os, ut Ventriculus, & consequenter jecur, fame & cibi indigentiā quasi perpetuo laboraret. *Hac ex Auctore citato*. Quis conjecturā aberrare probaret afferentem, ignotam Ventriculi herniam fuisse mortis causam in hoc Monacho inediā extincto? Nulla est posterioris exempli cum priore paritas, siquidem Nobilis perfectiorem ciborum

(1) In Operib. Anatom. & Physiolog.

coctionem à ruminatione sibi parabat, valetudineque prospera  
utebatur.

Inaugurali disputationi ansam in Academiâ Basiliensi, ad  
diem 12 Septembris 1625, dederunt allata ex Fab. ab *Aqua-*  
*pendente* ruminationis exempla, quibus tertium adjecit differ-  
tationis Auctor *Johannes Burgower*, ad se non itâ pridem lit-  
teris præscriptum à Celeberr. *Fabric. Hildano*. Civis Lausanensis,  
singularis apud suos auctoratis, jugiter laterali dentium mandi-  
bulæque inferioris agitatione, ruminantium animalium mores  
manifestè exprimebat; cætera robustus, septuagesimum ætatis  
annum attigerat. Cùm autem de eo non constet utrùm cibus in  
istâ maxillæ motitatem (quæ nobis mala consuetudo, vulgo *tic,*  
*videtur*) in os revertus fuerit, hoc tertium exemplum infirma  
sit rei probandæ ratio. Et hæc fuit Gregorii *Horstii* sententia,  
de vanâ *Burgoweri* lucubratione, qui, definitâ ruminatione in ho-  
mine per involuntarium cibi regressum à Ventriculo non elab-  
orati, in os, cum masticandi voluptate; hujus affectûs tanquam  
morbosi inquirit in causas & differentias; signa proponit dia-  
gnostica & prognostica; statuitque quibus modis hoc vitium  
emendari, vel etiam eradicari possit; eosque, ut ordinaria Me-  
dicinæ præsidia, delibat ex triplici illo fonte, diatâ, *Pharmacîa*,  
*Chiruriâ*.

Hanc animi evagationem miratus est *Horstius*, & sollicitu-  
dinem auctoris nimiam improbat circâ ruminationem humanam;  
nimisq; quod si quibusdam hominibus ex singulari idiosyncra-  
si ruminatio convenire queat, frustrâ tam indicationes cura-  
tivæ, quam earumdem indicata sen remedia quærentur. Hi  
» sanè respectu aliorum hominum aliquid præter naturam pati  
» videntur; at suâ ratione, singularis adeo individualisque pro-  
» prietas, cuius correctionem Medicus frustrâ tentabit, quatenus

» ipsis naturalis potius, adeoque sui conservationem quam ablationem indicabit. » Doctissima sanè & rationalis censura!

Accurata itaque rei consideratio veniat. ut videatur num aliquid morbos inter sit dum fit cibi regestio in os. Medic. Schaphusianus, Joh. Conradus Peyer, qui plusculas animalium secturas manibus adornavit, cum Serenissimo Delphino Ludovici Magni Filio Anatomia commonstraretur, librum uberiori eruditione conspicuum, anno 1685, edidit de ruminantibus & ruminazione, cui titulus *Merycologia*, ex quo unum aut alterum liceat paucissimis verbis referre ruminations humanæ exemplum.

*Salmuthus*, Archiater Anhaltinus, scriptis mandavit de quodam condiscipulo, qui post horæ quadrantem à cœnâ, regerebat cibum ingestum, atque exactius comminuebat; voracissimus erat: hinc avidè cibum ferè integrum vixque præmansum deglutiebat; & post ad rumen, more pecudum, revocabat, atque ruminatum ventriculo commodius concoquendum reddebat.

Ex B. Windthierii relatione narrat J. Faber *Lynceus* fuisse in Germaniâ virum quemdam, natione Suevum, qui cum tam cœnæ quam prandio cæteris lætus conviva assedisset, remotis epulis, post mediam horam à confessu, in angulum cœnaculi se solum composuisse, & ingestum quam citissime potuit cibum deruminasse. Ex iteratâ illâ cibi tractatione voluptatem capiebat; mel videri sibi merum lingere dicebat, & dulci suavitate se perfundi.

Narrationi Cl. Velschii supersedebimus. Eduardus Damies, civis Londinenis, natione Wallus, cibum quotidiè unâ aut alterâ horâ postquam assumpsisset, ruminabat; nam absque ullo ingrato sapore, ordine ad os ipsi remeabat, probèque comminutus denuò deglutiebatur, novo subinde frusto post primum depulsum ascendentente. Quod si pinguedine quidpiam molesti stomachum of-

femleret, secundâ hâc manduca<sup>t</sup>ione expuebat. Vir erat quinquagenarius, bonæ admodum valetudinis.

Nùm his exemplis consociari potest observatio jam allata Monachi, qui, narrante Fabr. ab *Aquapendente*, marcore, ob nutrimenti defectum distabescens, interit? Inter ruminantes homines nequaquam annumerandus; sed in eo morbosa erat quæcumque dispositio. Etenim, ut ipse fatetur Clar. Merycologiae Scriptor, in rectâ ruminatiōne cibus non modo in os refunditur, sed etiam remansus iterūm deglutitur, ut posteā ē Ventriculo per intestina transiens, famem saturet. Quinimò, edulium omne ad nutriendum tantò utilius aptiusque communi omnium sententiâ perhibetur, quanto fuerit dentium officio penitus subactum & comminutum. Indè manifestò liquet ruminatum cibum reficiendo corpori acceptiorem fore, præcipitanter devorato aut obiter duntaxat præmanso, nisi latens ægritudo impedit vel pervertat in cibo alendi efficaciam.

Ut ut res sint de ruminatiōne humanâ, cui fidei incrementa novæ nōn præstat Clariss. *Morgagni* (1), de curandâ herniâ Ventriculi quædam dicenda nobis supersunt. Ex sunt, in genere, indicationes curativæ quæ cæterarum herniarum curationi conducunt. Prima quidem, salutiferæ manūs admotione in suam sedem pars emota reducatur: altera, ut in eâ retineatur; huicque vinciturâ diligenter partibus accommodatâ satisfit. Curationi perficiendæ multùm proderunt parcus & tenuis victus, laudatus situs, supina scilicet ægri positio & quies. Victûs rationis uti-

---

(1) De sedib. morbor. per Anatom. indagat. Epist. Anatomico - medicâ.  
XXIX. No. 3. 4.

litas probatur ex eo quòd Ventriculo tanta vis insit sese contrahendi, ut post jejunium aliquot dierum, ad intestini ferè angustiam sese contraxisse visus fuerit. Potum autem leniter aromaticum parcè & iteratò assumant ægri; siisque frigidus: ab hoc enim quantùm ad Ventriculi robur restituendum sperari potest, tantùm metui à calido copiosoque aquæ potu in Ventriculi debilitate, oportet.

In sympatheticis vomitibus, eorum quæque species dignoscitur à doloris sede & naturâ, per investigationem symptomatum morbum essentialē designantium: quælibet enim pars laborans, peculiaribus signis prodit sui affectū indicium, ab actione læsâ cognoscibilis. In diversis herniarum incarceratarum speciebus, vomitūs indoles patefiet non solùm à qualitate eorum quæ per os ejiciuntur, obstructo & impedito alimentorum ad vias inferiores transitu, sed à morbi sede, ubi incipiunt & quòd pertingunt termina, molestusque inter vomendum doloris sensus. Sed perardua, & admodùm difficilis de vomitu, in accusatione veneni, Judicibus facienda renuntiatio: quod est nostræ dissertationis summa.

Certo certius de corpore delicti constare debet ex inspectione, & quidem peritiori cadaveris inspectione legali. Quædam enim notæ non bonos, sed imperitos decipiunt, nec crimen Artis, si quod Professoris est: aurea *Celsi* verba. Sed Artem hand inculpatam voluit anno 1743, coram Supremâ Parisiensi Curiâ, rutilans tūm Fori lumen, ut pejor non videretur, quæ in ejus patrocinium venerat controversia. Vir sanus, derepentè symptomata passus atrocia, opein Medicorum petit, inter quos Celeb. *Astruc*, de veneno epoto judicantes; & hæc fuit, aperto cada-

vere, Medicorum & Chirurgorum Regis Consiliariorum in Castelletto sententia, cui adversatus est Clarissimus Cochin (1) inquiens :

“ C'est encore un problème fort incertain, de savoir si le sieur D... a avalé du poison. Il est vrai que les Médecins & les Chirurgiens l'ont pensé ainsi; mais ils ne désavoueront pas eux-mêmes que leur Art ne roulant que sur des conjectures, ils ont pu facilement se tromper, & que les observations qu'ils ont faites sur l'état du cadavre, ne puissent procéder de causes toutes différentes. Les opérations de la Nature sont marquées quelquefois à un caractère de singularité & de bizarrerie qui trompe les plus grands connoisseurs; & quand il s'agit de juger des causes qui les produisent, les conjectures les plus vraisemblables ne sont souvent que des illusions. »

“ Quand on trouve un corps mort percé de coups, alors on ne peut pas douter qu'il n'ait été assassiné: il en est de même des autres crimes qui roulent sur des objets sensibles. Mais, qu'on ouvre un corps mort, qu'on le trouve ulcétré, gangrené, qu'on y trouve des excoriations, des taches noires, le velouté détruit, & autres accidens décrits dans le rapport des Chirurgiens du Châtelet; qui est-ce qui peut décider affirmativement si cela ne procède point de la corruption du sang, de l'altération de toute la machine, causée par de grandes fatigues, par la continuité des douleurs aiguës que le malade a ressenties, peut-être par une fièvre interne & maligne; en un mot, par mille autres accidens, sans que le poison y ait aucune part? »

(1) Œuvres de feu M. Cochin, tom. V., question de poison.

Ulciscendæ Artis injuriæ sufficeret præceptorum & monitorum expositio, circà præscriptas accuratiores rerum indagationes. Unum audiamus Professorem Lipsiensem in Anthropoligiâ forensi, Cl. *Hebenstreit*, omnibus consentaneum.

“ Si qua mors sani hominis, inter symptomata haud consueta, consecuta est, & nulli morbo cognito effectus ille subitaneus tribui confidenter potest, interest Justitiæ, ut in mortis causam inquiratur. Ipsum funus ejusmodi hominis, quem veneno extinctum fuisse suspicio est, singularem sistit faciem. Putredo statim à morte abdomen in tumorem extollit, cuticula ubique separatur; cutis, &c, si vir est, scrotum livent atque nigricant; facies ita tumet atque livet, ut humana illi forma desit. Os cruentum est, dentes vacillant, saliva cruenta est, gîngivæ & tonsillæ tument ac fœtent, capilli defluunt, totum cadaver in putridissimam solvit fracedinem. Dissecto abdome, Ventriculus flatibus valdè intumescit, lividis conspersus est maculis, intestina tenuia omnia rubent, livent atque flatibus distenduntur. Aliquando Ventriculus aliquâ parte perforatus est, suumque liquamen, cum potulentis, copiosè propter summam sitim ingestis, in cavum abdominis effudit. Sed phœnomena ista sufficientia haud sunt, nisi venenum ipsum invenitur. Licet enim hæc ita sint, quò subitanea putredo, post celerem inter atrociora symptomata mortem, suspicionem veneni inducere possit; eò tamen usque, ex ejus modi mutationibus in cadavere visis, veritas intoxicationis haud elucescit, quò processus aliquis criminalis illis superstrui valeat. Possunt sanè in ipsis hominibus, ex malo humorum habitu, quam cachexiam vocant, subitò nasci venena: persæpè febris, subitò lethifera, ab aliquo pathemate, maximè ab irâ, acceditur.... Proindè cauta veneni accepti debet esse accusatio, ne severius animad-

vertatur in eos qui malâ fortunâ, in suspicionem sàpè valde probabilem adducti fuerunt.

Jam *Michael Alberti*, Professor Halæ-Magdeburgicus, Auctor **commentationis in Constitutionem Criminalem Carolinam medicæ**, dixerat signa generalia & specialia beneficium denotantia, bene conferenda esse & providè applicanda; proindèque circumstan-  
tias antecedentes, concomitantes & consequentes, curationi studio esse conciliandas: precox enim corporis sphacelus æquè facile à morbosâ malignitate ac à veneno propinato provenire potest & solet (1).

In omnes corporis partes inquirendum nùm sit certa mortis causa à veneno aliena. *Gerbezius*, Physicus & Medicus ordinarius Labacensis in Carniolâ, (2) refert se anno 1701 fuisse vocatum ad apertiorém cadaveris mercatoris, (verbis utimur Auctoris) ob malam cum formosâ uxore correspondentiam ex suspicione assumpti veneni, defuncti. Decubuerat ille verò jam à 14 diebus, de naufâ, vomitu & ventris corrosionibus conquestus. Et vidimus, quòd præciso lege Artis abdomine, præter strepi-  
tosos & fætidissimos flatus, ingens alvinarum fæcum copia prorumperet. Undè suspicabamur ex incautâ præcisione intestina alicubi fuisse læsa: postquam autem ulterius inquisitionem pro-  
sequeremur, conspexeramus in inguine dextro rectè ad locum ubi quidem peritonæum scrotum versus erat præruptum (her-  
niosus autem erat ille vir) colon intestinum præ sphacelosâ

(1) Vid. *Zacchias*, quæst. Medico-legal. *Bohnus* de officio Medici du-  
plici, clinici & forensis. *Garcias*, disput. 66. *Rejes*, camp. elys. quæst. 64.  
*Zacut*. *Lusit*. Med. princip. hist. *Roderic. Castr*. Tract. que ex quibus.

(2) *Chronolog. Medico-Practicâ*, anno. V. p. 372.

putredine ovi gallinacei amplitudine fuisse perforatum, cum atrore circumiacentium partium & lividitate connexorum intestinorum. Unde facile conjecteramus inde fuisse exortam illuviem illam excrementorum in abdominis cavitatem; per consensum autem ventriculi nauseam illam, vomitiones & ventris corrosiones, quamvis ventriculus non videretur adeo laesus. Ulterius scissione non perrexeramus ob foetoris gravitatem: neque id necesse esse videbatur, eo quod ex hactenus detectis, mortis causa sufficienter pateret, & uxor's innocentia. Sed si saluti uxor's sufficienter consultum fuerit, nonne gemit Humanitas, neglectis prorsus Chirurgiæ strenuæ auxiliis, ab iis qui nec sympathici vomitus per 14 dies naturam in homine hernioso ignorarunt.

Ex Clar. antiqui Chir. Parisi. Collegii Magistro Devaux (1), magni pretii demonstratio est, si ingestum venenum aut in Ventriculo reperitur, cognosci potest; aut adhuc vomitu rejectum, cuius sit speciei, illudque canis deglutitioni objectum eadem quam in homine promoveat accidentia. Quandoque venenum ipsum inveniri intrà Ventriculum nequit; sive quod solubile illud ac salinum, nec ponderosum ac terrenum fuerit, sive quod copioso potu sipientis ægri elotus Ventriculus, atque hinc, ut annotat Clar. Hebenstreit omnis veneni materies ejecta, aut versus canalem tenuum intestinalum propulsata fuerit. Unde, licet sedulo inspiciantur ea quæ vomitu rejecta sunt & canibus praebantur devoranda, nullo eorum periculo res agitur.

In Inspectione Anatomicâ, detegenda gula, lustrandusque œsophagus: fieri enim non potest quin, cum venenum def-

(1) L'Art de faire les rapports.

cenderet, præsertim si fuit fluidum, ut fortè spiritus salis vel vitrioli, aqua-fortis, vel sublimati solutio, tunica œsophagi erosa sit atque cruenta. Omnium oculis maximè veneni vis, destructâ interiore Ventriculi tunicâ villosâ, sese manifestabit. Possent puncta veluti sanguine tincta in Ventriculi superficie internâ conspici; possent vasa venosa in Ventriculi superficie externâ sanguine turgescere, atque aliæ inflammationis signa adesse. Verùm, his signis solis venenum acceptum esse sufficienter haud arguitur, cùm hæc omnia ex inflammatione aliquâ subindè ortâ evenire possint; nec rubor, ac livor, ut potè qui similiter ab inflammatoriâ mortis formâ superesse potest, ad veneni significationem sufficit. Institutæ dissertationis exitum expedire juvat ex Clar. *Hebenstreit* Anthropologiâ forensi, transcriptis hâc de re verbis... Sit tibi cadaver ægroti, vomitu cruento exticti; qui morbus, sine ullâ causâ venenatâ, sponte suâ oritur: rejiciantur grumi sanguinei, vivo homine, iidemque in mortui Ventriculo reperiantur; sanè, nisi simul abrasa ventriculi tunica villosa est, veneno enectum hominem esse, non perhibebis, cùm ille sanguinem, dilatatis vasorum gastrorum finibus, sponte suâ in ventriculo effusum, habere possit. Propterea sola atque infallibilis deglutiti veneni nota est, separata & velut decorticata simulque cruenta interna Ventriculi tunica: nam separatio ista supponit applicatam superficie internæ ventriculi materiam fervidam, igni similem, quæ tunicam istam à substratâ vasculari nervâ solvit. Forsan objicies, à putredine solvi hanc tunicam similiter potuisse, ut cuticula putrescendo à substratâ cute separatur? Verùm ob plicas & rugas, Ventriculi tunica interna, à substratâ sibi proximâ, per putredinem citò non solvitur. Putridos Ventriculos sat multos dissecuit Clariss. Auctor; tunicam villosam à putredine solâ separatam fuisse nunquam vidit. Adeò-

que

que quod securum atque indubitatum illud accepti veneni indicium ex Ventriculo cadaveris defumendum attinet, fidele istud, quod convictionem patere possit, intoxicationis signum exponentium est, denudata scilicet ventriculi superficies interna, crusta que ejus villosa liquidis ventriculi innatans: haec sola circumstantia erosionem à veneno deglutito factam sufficienter denotat.

*HAS THESES, Deo juvante, & Præside M. ANTONIO LOUIS,  
Scholarum Professore Regio, Academiæ Regiæ Chirurgiæ Se-  
cretario perpetuo, Regio librorum Censore, in Castris &  
Regis exercitibus à consiliis Chirurgicis, Nosocomiorum Mi-  
litarium Regni Inspectore, Consultissima Facultatis in Uni-  
versitate Parisiensi Doctore, in supremo Senatu Patrono, è  
Regiâ Monspeliensi Scientiarum Societate, Regii Medicinæ  
Collegii Nanceiani, & Academiæ Scientiarum Divionensis  
Collegâ Honorario, Academ. Lugd. Rothomag. Metens. Got-  
tingens. Apathistarum & botanic. Florentinæ. Bonon. Paduan.  
Socio, in Medicinæ Facultate Hala-Magdeburgicâ Chirurgiæ  
Doctore; tueri conabitur JOANNES-BAPTISTA PIPELET,  
Parisinus, Eques, in almâ Universitate Parisiensi Artium  
liberalium Magister, in utroque jure Licenciatus, causarum in  
supremâ Curiâ Patronus, Doctor Medicus Remensis, & Chi-  
rurgiæ alumnus.*

F I N I S,

